

3

PIÆ LACRIMARUM INFERIAE,  
QVAS  
**PER-ILLUSTRI** atque **EXCELLEN-**  
**TISSIMO DOMINO,**  
**D O M I N O**  
**IOANNI GEORGIO**  
**De PONICKAU,**

Potentissimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniæ in Supre-  
mo Appellationum & Ecclesiastico Senatu Präsi-  
di gravissimo,

*Dynastæ in Pobla & Klein Opiz,*  
**DOMINO ET MECÆNATI SUO GRATIOSISSIMO,**  
**PER-ILLUSTREM PARENTEM**

# Doroth. Tugendreich,

*ex*  
Perantiqua LOESCHEBRANDIORUM  
*Prosapia,*

Matronam omnium virtutum ornamentis eminentissimam  
die VIII. Id. Jun. a. ær. Chr. cl. l. CCXVII.

*placidissime finitam*  
*acerbissime lugenti*  
*in mentis addictissimæ symbolum & obsidem*  
*cum veneratione offert*

CAROLUS FRIDER. LICHTENHAHNUS,  
Jur. Cult.

DELITII,  
Litteris CHRISTIANI VOGELGESANGII.

PER-ILLUSTRIS  
atque  
**EXCELLENTISSIME  
DOMINE,**



Nra silentium me tenerem, nec tam illætabili defungens officio crudum adhuc & viride TUUM vulnus, levidensi hac & intempestiva compellatione tangerem, nisi, dum obnixa & æternum vadata pietatis meæ religio pro ratione & honesto stare titulo publiceque condolescendi necessitatem imponere videtur, fore mee excusatissimum confiderem. Ut enim tralatitia consuetudo penè legis vim induit, ut eorum, quos salutis nostræ autores & statores suspicimus, utramque fortunam nostram quodammodo facere, nec in lætitiae minus, quam luctus societatem ire soleamus; sic fieri secus non potuit, quin, ubi TE, o sacrum Sidus ac Præsidium meum, in gravissimum incidisse luctum acciperem, ita confunderer atque exanimarer, ut auribus vix fidem haberem. Perdolui fane & tumultib⁹ liquefcere coepi oculis, quum PER-ILLUSTREM PARIENTEM invida fati sinistritate erectam nobis intelligerem, cuius effusissima gratia tam mire semper domui nostræ allobuit, ut eam citra ullius meriti rationem sui prorsus fecerit muneris ac beneficij. Majorem autem in modum dolorem accendi & exulcerari lensi, quum, TE, cuius sacro ac venerabili ore meus trahitur spiritus, & in cuius prolix-

xis-

xissima indulgentia omnes musarum mearum spes sitas de-  
fixasque arbitror, beatissimum Ejus obitum acerbè & do-  
lenter ferre, inter ceteras necessitudines cognoscere.  
Frustra essem, si ultra fortem meam temerarius hoc mihi  
jam sumerem, ut aut calamitatem hanc extenuarem, aut  
dolori fomentis quasi adhibitis mederi conarer, quod u-  
trumque & modestiam meam oneraret, & infantiae meæ  
modum excederet. Verum quum simul in justissimi moe-  
roris partes veniam, id mihi negotii dari intelligo, ut licet  
maximam fecerimus jacturam, nihil tamen extra modum &  
numerum, sed recte omnia & ordine à divino facta esse Nu-  
mine, adversus optimos optimo, perducam ad liquidum. Et  
luctuosum omnino est, quod unicè & efficitam amamus, a-  
mittere, & quo quem arctius cariusque habemus, hoc ve-  
hementius, nisi pumiceos forte oculos habuerimus, aut si-  
liceæ Philosophorum sectæ, quæ adversus omnes casus  
obcalluit, dederimus nomen, nos urit ac pungit ejus desi-  
derium. Quid autem est, MECÆNAS GRATIOSISSIME,  
quod impensius unquam usque in delicias adamaveris,  
quod sollicitius in sinu & oculis gestaveris, quam Opti-  
mam Matrem, quæ non modo prima, si à Deo discessero,  
generosissimi spiritus dederat incunabula, sed & insitam  
& ad omnia summa natam excelsi animi Tvi vim rectis  
roboravit cultibus, & prætextatam annorum mollici-  
em purpuræ tantæque, qua jam emines, fortunæ ap-  
prime capacem finxit ac formavit. Luctuosius adhuc,  
puto, est, amittere, cuius pretium eximia raritas exagge-  
rat. Cui vero rariores & majori cum cura dicendæ vir-  
tutes unquam fuere, quam Nostræ, quibus ita usque  
ad miraculum exsplenduit, ut aut producione vita, aut  
immortalitate, si eam homini optare fas est, dignissima  
esse videretur. Enim vero infra suam putavit essemagni-  
tudinem, in secundis tertiusque, seu in vulgari laudum  
mediocritate confistere. Ultra sexus sui morem & in-  
genium generosæ indolis vim diffudit, & tot tantas-  
que amica velut copula & concentu fibi virtutes induit,

) ( 2

quot

quot & quantas humana vel natura recipit, vel industria perficit. Harum nobilitate Generis suinobilitatem illuminavit insigniter; has infularum loco habuit, quibus naturae debitum decus redderet sanctius, cumque aliæ in meris majorum stupent titulis, & fumosis tument imaginibus, illa ex sola virtute suam nobilitatem metiri fuit solita, nec tam sibi genus, quam se generi ornamenito esse debere existimat. Injuria virtutum fuerit referre, quam acri & inusitato pure defæcata eque religionis fuerit accensa studio; quam casta & illibata mente Deo supplicaverit, quam tenaciter se ad ejus leges, eiurato omni colore & fuco, alligaverit. Et quanquam facilis alioqui pietatis in prosperis sit oblivio, & rarae illis fument aræ, quos ab blandientis fortune copiae circumfluunt; tamen Illa coeleste Numen toto admisit pectora, ut ad pietatis exemplar nihil esset expressius & absolutius. Recte fecit, non ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam, cuius pretio potissimum ducebatur, referendo. Juvabit omnes, quibus ejus familiaritatem intrare intimius contigit, subinde recordari, quanta dulcedine, quanta comitate, gravitate & lenitate mores mixtissimos condierit; quam exposita & accincta humanitas! quam jucunda animi & frontis exporrectæ diffusio! quam æqua & parsui adversus omnes vel extremæ caveæ homines aestimatio, quam candida & egregie cordata integritas ex sua natura fingens cæteros mentemque in ipso vultu gerens in Ea extiterit. Melli erit, meiminisse quam benigna, quam facilis fuerit in levandis hominum angustiis, quam in numerato confiscatoque suas habuerit opes, quas velut per saturam spargeret plena manu egenis, neque in acta mittens, quod Romanus taxat Philolophus, nec in calendario scribens, quæ conferret, beneficia. Nihil dicam exactissimam Ejus in rebus gerendis solertiam, nihil exsomenem in exequendis industriam. Ex quo vitam viduam coepit trahere, sane viriles curas induit; quinque aliæ inter speculum & pectinem tempus perdunt; Illa, licet ingra-

ve-

vescente ætate uti potuisset vacatione , tamen non destituit dies omnes inter catenatos labores dividere , extra omnem dilationem posita , & composito rerum ordine vivens quasi ad formulam . Nihil dicere denique attinet magnum animi robur & immotam constantiam , qua in novissima & pertinaci satis valetudine dolores causarii corporis concoxit , prout viva in omni fortuna semper fuit unica & non minus felix , quam infelix esse didicerat . Quam contempsit in hora decretoria bona hujus vitæ tanquam fluxa , precaria & in diem data ! quam decenter , quum ad ultimam rerum lineam ventum esset , acquievit ! quam pie tandem cœlo coelestissimam animam reddidit ! Hæ lectissimæ & edecunatae virtutes , quas tam parce transcurrente circumscripti magis quam executus sum , Tua quidem pietas , **PRÆSES EXCELLENTISSIME** tenerrimo ducta affectu optaverat , ut quam tardissime cœlo , unde venerant , redderentur , sed festinavit easdem , qui vitæ nostræ necisque sedet arbiter , quia jam matruissent ad editorem orchestram , ubi demum conseratae amplissima nanciserentur præmia , ubi suos radios , quos in hac vita tenui saltem & effractario lumine sparserant , sanctiori fulgore explicarent . Præterea quum omnibus propè bonis , quæ hujus vitæ ornamenta & condimenta habentur , ita perfundita fuerit Beatissima , ut si ipsa voluisse fingere , neque plura reminisci , neque majora potuisset consequi , hoc unum restabat , ut immortalitate donaretur , quam tamen non nisi exuta mortalitate adire poterat . Ita enim quamdiu rebus humanis interfuit , secundum & æqualem rerum ante vota fluentium tenuit cursum , ut aut ipsa suis fortunis fortunam anteire , aut ipsam fortuna in amorib⁹ ac deliciis habere videretur ; Paucis sunt , quos æquus ita amavit , ut summo loco nascerentur , ut possint longo

Sangvine censi , piëtosque ostendere vultus

Majorum , & stantes in curribus Æmilianos

Et Curios .

Nostra ab eo stemmate dicit genus , quod nec antiqui-

) : ( 3

tatis

tatis gloria nec togatorum bellicorumque Heroum multitudine ulli in Saxonia nostra facile cedet & viam dabit. Accessere felicitatis insignia incrementa, auspicatissimae ejus tædæ, & arctissima cum ea stirpe confarreatio, cuius gloriam itidem & virtutum & honorum insignibus conspicuam tempus ævi sui trahet comitem. Unde per opportunam uberioris indulgendi fortuna næctamateriam, carissima quoque pignora & aureos pene partus dedit, sic, ut cum felici Cornelii Gracchorum matre, jus trium liberorum merita, paria & hieran fecerit. Quos enim parentes non liberorum erectæ mentes & in lætos exsurgentes ortus, & paternarum maternarumque virtutum hæreditatem legitimis adeundi tabulis à primis statim annis cupidæ cum quadam admiratione delecent? Nonne vero Tva cum primis, DOMINE Indulgentissime, ut cæteros salva magnitudine jam taceam, divina & admiratio-  
nis modum egressa vis ingenii Ejus lætitii latissime fene-  
stram aperuit, quum videret Te non expestanto annorum  
cursu acerrima quadam sapientiæ festinatione jam in primo  
pubescentis ætatis flore avitas virtutes viva quasi similitu-  
dine exscribere, imò longè antecellere, quum præcoci for-  
tuna videret Te in magna honorum luce & theatro, ubi a-  
nimi opes reipubl. demerenda natas cum immortali laude  
explicares, collocari? Id quod in causa fuisse arbitror, quod  
ad sumam usque senectutem & indeflexam annorum ma-  
turitatem vixerit, ad quam paucissimos, fatis tribunitiam  
suam vim interponentibus, pertingere pro vero constat.  
Senectus enim ipsi supremus felicitatis humanæ accesit  
cumulus, & cum alias præcipitata ætas in poenam vivax in  
morbum degeneret, Illa tamen nihil ex senectute preter  
annos sensit, & quotidie ferè juventutem & viride genu vi-  
sa est resumere. O rarissimum inventu absolutissimæ felici-  
tatis exemplum ac decus! Quare quum nulla amplius  
fieri possit ad votorum summam accessione, hoc unum de-  
erat, ut, quam bracteatam faltem in hac vita & perfusorio  
gaudio volucrem felicitatem possederat, primis duntaxat  
for-

fortunæ rudimentis & tyrocinii, eam demum solidam in altera, & æternam sortiretur. Et sortita est: idque cœlesti piæ mortis beneficio. Quam quidem hoc lubentioris sine mora animo subiit, & suum *Beschwörung*, *Cœlum*, cygneam sanctorum vocem cecinit, quo exactius didicerat, ut vive-re, sic & mori, quò curatius sciebat ipsam vitam non nisi longum esse ad mortem iter.

O felix, dubio quam non in turbine rerum  
Deprendit suprema dies, sed abire paratam  
Et plenam annis.

At nec mortem ejus mortem facile dixerim, quum ejus mortalitas magis finita, quam vita sit. Vivit enim & emeritis perpessitiae hujus vitæ stipendiis voti sui damnata ibi optatis perficitur ad invidiam felicissimis, ubi extra sortem communis periculi posita sua Hilaria, sua Matronalia celebrat, nbi iis omnibus incedit lætitiis, de quibus, quum per caliginem nobis tantum cognitæ sint, quicquid dixerimus, minus erit. Profecto si acerbius Eam lugeamus, invidere quodammodo videbimus, quod his mortis rationibus vivendi pretia vicerit, quod meliorem sui partem eò transtulerit, ubi pios suam assequi *vyselav*, pridem Theodosius Imperator innuit, dum *vyselav*, Sanitatem, exclusis cæteris titulis, suo monumento inscribi jussérunt. Applaudem & macte esse juberem hac novâ felicitate Beatissimam Animam, nisi in hoc luetu harum vocum usum pene perdidisse. Vixit igitur & suum peregit cursum, sic tamen, ut, dum naturæ corpus manserit incolume, vix unquam vivere desituta sit. Quò longius recessit ab oculis, eò firmius sedebit hærebitque nostris memoriis. Quemadmodum enim jam in vita bonæ mansuræque per Te, Tu asque illustres virtutes famæ præsumptione perfuebatur, sic etiam post vitam in Te Tuisque virtutibus vivet, & velut altera Anna Perenna in omne seculum ibit sacrata. Ipsa patria levem Illi sine pondere precatur terram, & ver in urna perpetuum, neque unquam Eam patietur esse intra gloriam, quia vel eo nomine ejus laudes ebuccinabit,

quod

quod te ipsi post Deum unicè debeat. Quamobrem quum  
ipsius & Republicæ intersit, ut externatus animus Tuæ  
Excellentiae quam maturissimè hoc moerore exsolvatur,  
dabis hoc illi, & divinæ subscribes voluntati, & ex Te Ipso  
omnibus quæsitissimæ sapientiae doctrinæq; copiis oppido  
instructo optima anodina, velut ex narthecio, quod ajunt,  
depromes. Atque eò facilius, credo, animus doloris avoca-  
menta admettit, quo sèpius cogitaverit, gaudendum  
potius tamē esse cœlo delapsam Matrem datam fuisse,  
quam lugendum, tamē post diurnum usum & fructum  
Matrem fuisse amissam. Eò citius, puto, vulnus cicatricem  
patietur, & coabit, quo frequentius in mentem venerit,  
Eam desiderio quidem, sed non tormento suis esse velle;  
& humentes quidem, sed non natantes lacrymis pensi  
habere oculos. Nec mediocri necessitas, quæ interdum Sa-  
pienti ante rationem est, levamento erit, si expenderimus,  
nos perituros peritura accipere, omnesque ad hoc sacra-  
mentum esse adactos, ut ad exodium deducto vitæ mimo  
morti tandem debeamus ludibrium. Et quid, quæso juva-  
set Perillustrem Parentem paucorum annorum accessio,  
quum jam naturam vivendi satietate implevisset, adeo,  
ut si hoc tempore suum diem non obiisset, paulo post,  
quia mortalis erat, ipsi fuisse moriendum. Denique & hoc  
autumo, feralem dolorem propediem mitigabit & mollet,  
si apud animum haud gravatim proposueris, Eam ad tem-  
pus è finu & complexu Tui fuisse divulgam, & jam Tuos  
iterum amplexus & oculæ flagrantissime exspectare. Quod tamen ut se-  
ro fiat, vehementer optant boni omnes, qui pro Tua Patriæque salute  
quotidie votivas suspendunt tabulas. In quorum numero quum & me  
censi intelligam, rogo Deum Opt. Max votis conceptissimis, ut candi-  
dioribus subinde solibus gravisimum luctum interpolet, & à Per-Illustri  
Domo Tua omnes desultoriae fortunæ casus averruncet, ne gravior un-  
quam nuncius aures vulneret. Sic stabilem addat incolumitati Tuæ per-  
petuitatem, sic rebus humanis Te diutissime in utilitatibus publicæ, quæ u-  
tramque paginam in Tuis facilitationibus, incrementa lætissima interef-  
fe jubeat. Sic & meas Musas in favoris Tui abundantia quasi extrema  
pendentes tabula salvas fore confido, quas & usu & mancipio pridem Tu-  
as indulgentie Tuæ devotissime iterum commendo. Dab. Lipsiæ.

d. XVII. Jul. Ao. ær. Christ. c. 17 cc XVII.

498 (c) 803

3

PIÆ LACRIMARUM INFERIÆ,  
QVAS  
**PER-ILLUSTRATQUE EXCELLEN-**  
**TISSIMO DOMINO,**  
**D O M I N O**  
**IOANNI GEORGIO**  
**De PONICKAU,**

Potentissimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniæ in Supre-  
mationum & Ecclesiastico Senatu Præsi-  
di gravissimo,

*Dynastæ in Pobla & Klein Opiz,*

MECÆNATI SUO GRATIOSISSIMO,  
ILLUSTREM PARENTEM

**h. Tugendreich,**

*ex*  
**LOESCHEBRANDIORUM**  
*Profapia,*

um virtutum ornamentiſ eminentiſſimam  
II. Id. Jun. a. ær. Chr. clo lō CCXVII.

*placidissime finitam*

*acerbissime lugenti*  
is additissimæ ſymbolum & obſidem  
cum veneratione offert

**FRIDER. LICHTENHAHNIUS,**  
Jur. Cult.

**DELITII,**  
CHRISTIANI VOGELGESANGII.

